

Handwritten text on a small label affixed to the spine edge, likely a library or collection identifier.



Wei

70

QVUM DIVINIS
 ET
POTENTISSIMI BORUSSÆ REGIS
AUSPICIIS
 VIR
SUMME REVERENDUS, DOCTISSMUS, AMPLISSIMUS
AC PIETATIS DOCTRINÆQUE SANCTIORIS FAMA
CLARISSIMUS,

DN. GOTTLIEB
FABRICIUS,

PASTOR PRIMARIUS ECCLESIAE PIZENENSIS ADHUC
MERITISSIMUS, COTBUSIUM EVOCATUS,
 ET

AD SACROSANCTA

PASTORIS PRIMARII AC INSPECTORIS
ECCLESIAE COTBUSIENSIS EIUSDEMQUE

DIOCESEOS MUNIA SUSCIPienda,
 DOMIN. XX. TRINIT. A. O. R. MDCCXXVI. SOLEMNITER
 INAUGVRATUS,

ADVENTUM SUUM EXOPTATISSIMUM DOMIN. OCULI A. O. R.
 MDCCXXVII. FELICITER CELEBRARET,

PATRONO SUO OMNI HONORIS

ET

AMORIS CULTU ÆTATEM VENERANDO
PIE OBSERVANTERQUE GRATULABATUR

M. LEVINUS KAGEL CON-RECTOR.

COTBUSII, Literis Johannis Michaelis Kühnii.

Carl Wilhelm Krieger

1725



ERgo ades, Onostræ PERQUAM LÆTABILIS vrbi
 PRÆCO DEI, sacro rite dicare gregi!
 O palmare decus, Phare non temerata Sionis!
 Eia ades, ac plausu cuncta sonare facis!
 Salue, CARE DEO, nobis CARISSIME PASTOR,
 Et cui nil Ioua carius esse potest.
 Vt quum mane nouo, renouato illustrior orbe,
 Phœbus lætitiæ dat mera signa noua:
 Sic Tua iamdudum meritorum gloria fulgens
 Crescet in immensum, faustaque multa feret.
 TV Sorabum genti, LONGE MERITISSIME PASTOR,
 Diuino in verbo nobile lumen eras:
 Quum procurares, sic prospiciente Iehoua,
 Ipsorum in lingua dogmata sacra Dei.
 Nec modo cusa typis, animis simul illa dedisti
 Fixa, Dei digito cor moderante Tuum.
 Et sic barbaric pulsa, tenebrisque fugatis,
 Mentem collustras cognitione sacra.
 Qualiter exhilarat mundum Titanius ardor,
 Cuius ad exortum nox tenebrosa fugit.
 Nam Tua pacificum monstrat facundia Christum,
 Et populis veram pandis ad astra viam.
 Qui statuis, IESum vita meliore doceri
 Rectius, & vocum fulmina posse minus.

Ad seruos sane fidos TV iure referris,
 Vinea quos Domini semper habere cupit.
 Scilicet hi recte poterunt obsistere prauis,
 Viribus instructi, quas dedit ipse Deus.
 Maxima pars hominum est diuino lumine cassa,
 Horrendis vitiis mundus vbique scatet.
 Hinc animus sacri tactus dictamine verbi
 Non cessat gemitus accumulare pios:
 Ut seruos Dominus, quos præparet ipse, fideles
 Protinus in messem mittat agatque suam.
 Rara auis est siquidem vera pietate minister
 Diuini verbi, qui sacra rite colit.
 Haud nego, mystarum turbam fatis esse frequentem,
 Nec cultus formam prorsus abesse scio:
 Vis autem pietatis vbi est? vbi criminis expers
 Vita, colens pura simplicitate Deum?
 Quid iuuat in templis sanctum docuisse Iehouæ
 Sermonem, vita deficiente proba?
 Complures nucleum spernunt, & inane putant
 Doctrinæ captant, prætereaque nihil.
 Quod si doctores audent hanc ducere vitam,
 Quæso, auditorum quis status esse potest?
 Scilicet exemplum doctorum impune sequuntur,
 Cuncta sibi tantum non licuisse rati.
 Pacifico & dulci solo sunt nomine Christi
 Contenti, & faciles in scelus omne ruunt.
 Et quod mireris, vita si forte recedunt
 Exuuiæque sua contumulantur humo:
 Laudibus eximiis per compita quæque feruntur;
 Corruptus pastor scilicet hocce beat
 O monstrum horrendum, in forme & cui lumen ademptum,
 Et tamen a Christi nomine nomen habens!
 His dictis igitur constat satis, vsque requiri
 Doctores studiis ac pietate graues:
 Doctores magis exemplo, quam voce docentes,
 Et quibus est animæ seria cura suæ.
 Gloria sit Domino, qui TE iubet, OPTIME PASTOR,
 In cathedra sacra Præfulis esse loco.



Sic igitur meritis semper sua præmia constant,
 Accipit is palmam, cui bene cedit opus.
 Hercules instar enim Tu frangis monstra malorum,
 Et velut Amphion saxea corda moues.
 Dogmata, quæ populo tradis, sunt pondera rerum,
 Robore cælesti concomitata probe:
 Discutiunt duras animas, tenerasque relaxant,
 Ut simul ambabus prodeat inde salus.
 Utere maiori nunc munere, PRÆSUL AMANDE,
 Nil in TE inuidiæ spicula iuris habent.
 Maecte Tuis meritis! de cœtu perge mereri
 Sacro, perge Tuam potro probare fidem!
 Nec pigeat nostri curam iunxisse Lycei,
 Par oneri gemino quod reputare fatis.
 Exultat merito plaudens ecclesia Christi,
 Quæ TIBI Cotbusii iam moderanda datur.
 Suscipe, quaeso, libens quicquid designat honori
 Candida simplicitas, VIR VENERANDE, Tuo:
 Implorans Numen summum, TIBI robora firma
 Sufficiat, cunctis TE cumuletque bonis.
 Viue, vige, flore Pylios, INSPECTOR, in annos
 Ut subeas tandem portio tarda polum:
 Quo longum liceat TIBI spargere semen in agrum
 Electi cœtus, quem pia verba doces.



Nur für den Lesesaal

Keine Fernleihe Sely


78 N 17

Einkl. Handschriften

Hin a. 4 m



77 → 0L



QVUM DIVINIS
ET
POTENTISSIMI BORUSSIÆ REGIS
AUSPICIIS
VIR
SUMME REVERENDUS, DOCTISSIMUS, AMPLISSIMUS
AC PIETATIS DOCTRINÆQUE SANCTIORIS FAMA
CLARISSIMUS,

DN. GOTTLIEB
FABRICIUS,

PASTOR PRIMARIUS ECCLESIÆ PIZENENSIS ADHUC
MERITISSIMUS, COTBUSIUM EVOCATUS,
ET

AD SACROSANCTA
PASTORIS PRIMARIII AC INSPECTORIS
ECCLESIÆ COTBUSIENSIS EIUSDEMQUE

DIOECESEOS MUNIA SUSCIPIENDA,
DOMIN. XX. TRINIT. A. O. R. MDCCXXVI. SOLEMNITER
INAUGVRATUS,

ADVENTUM SUUM EXOPTATISSIMUM DOMIN. OCULI A. O. R.
MDCCXXVII. FELICITER CELEBRARET,

PATRONO SUO OMNI HONORIS

ET
AMORIS CULTU ÆTATEM VENERANDO
PIE OBSERVANTERQUE GRATULABATUR

M. LEVINUS FACEL CON. PECTOR

